



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Episcopos Britanniae. Arguit eos,  
quod a Turonensis archiepiscopi iurisdictione se substraxerint, eiusque  
bona inuaserint. praecipit vt ei deinceps pareant, & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CXXIII.

*EXCOMMUNICATIO HVGONIS ET EMMONIS.*

**H**VGONEM Lotharii regis quondam filium, non legitimum, sed naturalem adulterina copula genitum, qui post præstatum sacramentum dilecto filio Ludouico regi Francorum mentitus esse videtur, & inquietare pacificum regnum prædicti regis: & Emmonem, Bernardi comitis germanum, complicem in excessibus, nisi intra dies xxx. ad prædictum seniorem suum redierint, & ab inquietudine regni resipuerint, omni Christiana communione priuamus. Postmodum si perseverauerint, sciant se anathematis vinculis innodandos. Data &c.

## EPISTOLA CXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ.

Arguit eos, quod a Turonensis archiepiscopi iurisdictione  
se subtraxerint, eiusque bona inuaserint. præcipit  
vt ei deinceps pareant, & delictorum  
ab illo veniam petant.

*Maben Dolensi episcopo, nec non & omnibus episcopis Britannicis,  
seu uniuersis sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.*

**S**ANCTITATEM seu fidelitatem omnium nosse volamus, quia dum Trecis Synodus celebraremus, suggestione Adelardi archiepiscopi consacerdotis nostri audiimus, quod vos matrem vestram Turonensem ecclesiam despicientes, secundum antiquam consuetudinem illi obedire differtis, & priuilegium a B. Petro apostolo illi supra vos concessum frangere conamini, debitumque honorem ipsi archiepiscopo vestro obseruare negligitis, & malum supra malum addentes, prædicto capiti vestro prædia auferre non formidatis. Inter hæc etiam, & præfato antistite narrante, & aliis coepiscopis similiter confessibus, audiuius ut vos non antiquo more a vestro metropolitano consecrati fuissetis, sed expulsis legitimis episcopis de sedibus, sola potentia ducis vestri alter ab altero consecratus fuit. Quod mirati fuimus, &, si ita est,

*Concil. Tom. 24.*

T ij

tantum nefas delebimus, & vindictam, nisi satisficeritis, nihil minus dabimus: quia non pastores, sed inuasores fuisse cernimini. Quapropter monemus, apostolicaque auctoritate expresse præcipimus, vt ad cor redeentes ad matrem vestram sanctam Turonensem ecclesiam reuertamini, & secundum antiquam consuetudinem illi obedire satagatis, & de perpetrato haec tenus ipsi vestro archiepiscopo Adelardo misericordiam queratis, quatenus super omnibus negligentiis apud summum arbitrum veniam habere possitis. Quoniam si aliter feceritis, canonica auctoritate eritis nihil minus feriendi, & a nostra communione modis omnibus alienandi, & omnis vestra ordinatio a summa sede apostolica scilicet respunda. Data vt supra.

## EPISTOLA CXXV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM BALBVM RÆGEM.

Bosonis comitis, & Agilmari episcopi, a quibus in Italiam deductus fuerat, studium erga se operamque commendat.

*Dilectissimo filio Ludouico glorioſiſſimo regi, dñe memorie  
Caroli imperatoris filio.*

**Q**VANTO vos amore diligimus, quantumque caritatis affectum erga vos tenemus, paucis explicare verbis minime possumus: hoc tamen gloriam excellentiæ vestræ scire cupiuimus, quod deuotionem ardoremque caritatis, sicut polliciti sumus, erga vos indeficientem perpetuo retinemus. Interea millenas serenitati vestræ de Bosone dilecto & communi filio ac fidele gratias referimus, qui tam prudenter communibus obtemperans iussis, parere in omnibus ita nobis studuit, vt etiam velut vere Christianæ religionis cultor, animæ & vita suæ non pepercérerit, sed pro sanctæ ecclesiæ & communi fidelitate vltro se morti tradere non dubitauit, & usque Ticinum, annuente Deo, securius nos perduxit. Quapropter, dilectissime fili, ac porphyretice rex, obsecramus excellentiæ vestræ culmen, vt si res exegerit, sicut nobis vestra dignata est remittere sublimitas, ei adiutorium ad debellandos hostes nostros virorum bellatorum adminiculum præbeat: